

populum ad conciones et pueros ad catechesim, proseribunt religionis catholice exercitia, neminem nisi sue secte ad magistratum admittunt, magistratus neminem catholicorum in civium numerum, ut in civitatibus imperialibus patet, ubi magistratus hereticus est: studia magna ex parte impediunt, et urbes opificibus tantum ac mercatoribus implent. Prædicantes eorum quotidie fere prædicant, mane sæpe et vespere ut vere de iis dici possit id Eccl. XIX. *Sagitta infixæ femori canis, sic verbum* (Dei Lutheranum) *in ore stulti*. Ut enim ejusmodi canis non quiescit quamdiu sagittam in femore retinet: sic nec prædicantes a verbo suo circumferendo, juxta id Jer. XXIII. *Non mittebam prophetas, et ipsi sponte currebant*. Denique, quid non expendunt, quid non tolerant, quo fidem nostram eradicent, suam plantent? His annis vidimus quæ et quam multiplicia consilia in nos conceperint, quot principes et resp. sibi devinxerint, quas machinas excogitarint, ut nos supprimerent: ipsi nos hæc eorum consilia mirabiliter a Deo patefacta et in manus nostras in originali delapsa et publicis typis evulgata legimus. Ut taceam quid non tolerarint eorum milites, qui multo tempore sine stipendiis militarunt: quid non pecuniarum contulerint civitates imperiales, etc. O quam ergo vero verum est illud Domini: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt!* Luc. XVI. Vincunt hac sua sedulitate catholicos sicut Judas cum suis vigil discipulos in horto dormientes; et vultur (cui S. Augustinus, tract. VI. in Joan. hereticos comparat) columbam, quæ Ecclesie typus est.

V. Quinta, fraudulentia hereticorum. Lupinæ enim pelli vulpinam assuunt, et imprimis semper et ubique jactant evangelium suum, verbum Domini, quasi eorum doctrina eaque sola clarissime reperiatur in evangelio et nos evangelium rejiceremus, vel ei contrairemus; hinc omnia sua commenta sententis Scripturæ vestiunt, et infinitis centonibus obtegunt, ut ea rudi populo credibilia faciant, ad eum fere modum, quo sutor ut filum crassius in angustum calcei foramen introducat, setam illi subtilem intorquet et præfigit, ut beneficio setæ etiam crassius filum traducat: sic enim illi paradoxa sua (uti vota, jejunia, bona opera, purgatorium, sanctorum invocationes, castitatem, confessionem, etc. mera commenta esse) ut rudioribus persuadeant, beneficio Scripturarum id efficiunt: et has esse ovinas istas pelles sentit Vincentius Lirinensis, l. contra profan. hæres. novit. cap. XXXVI. in quibus lupos venturos ad nos prædixit Dominus: *Quæ aut fallacius incautis ovibus obre-*

pant, manente luporum feritate, lupinam speciem deponunt, et sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus, obvolvunt. Inquit ille. Atque ut huic fraudi robur addant, quibuscumque hominibus facultatem præbent legendi et interpretandi Scripturas, imo etiam suadent: nec dubitant asserere papam et ejus assecles ideo prohibuisse laicis lectionem Scripturarum ss. ne fraudes ejus apparerent, quibus vulgum dementarit, quasi plurima commenti sint pontifices ad suam ecclesiasticorum utilitatem, quæ Scripturis contradicant, ut missas, confessiones, oblationes, etc. quo sane modo innumerabilem hominum multitudinem traxerunt ad suas hæreses. Quemadmodum si cuius hominum daretur Romæ licentia ingrediendi cryptas martyrum obscurissimas, velut ad S. Pancratium, ad S. Sebastianum, etc. plurimi in iis exerrarent etiam accenso lamine; et in iis misere perirent ob varias anfractuosas, longas et obscurissimas vias. Id igitur ne cui accidat, sub gravi pœna prohibetur ne quis, nisi duce aliquo viæ gnaro cum aliquot luminibus, eo ingrediatur. Ita seres habet cum sacris Scripturis: cum enim licentia datur omnibus earum obscuritates ingredi et abditos sensus rimari, licet lumen intelligentiæ et ingenii acumen se habere existiment: fieri non potest, quin plurimi exerrent, cum Scriptura omnis varias patiat interpretaciones. Atque hinc est quod tot in iis deviarunt et in hæresim lapsi sunt. Omnes enim heretici Scripturam allegant pro se; licet diversarum hæresum, quibus certe omnibus Scriptura servire nequit: igitur ut ne erremus nos, Ecclesia mater nostra homini laico prohibet Scripturam aut saltem eam rimari et interpretari, vultque uti non nisi juxta ss. patrum sententiam veluti prælati facibus et duce aliquo, approbato doctore, eam ingrediamur, audiamus et legamus.

VI. Sexta, violentia hereticorum. Ad extremum enim ubi etiam vulpina pellis non sufficiebat, juxta proverbium, leoninam assuerunt. Nam initio principum et magnatum ambigunt ostia, ipsos primo inficiunt, ut ipsorum auctoritate dogmata sua promoveant ad subditos, mediante videlicet principis mandato, minis et pœnis. Ita primus hereticorum pater Simon magus, magicis artibus Neronem imp. seduxerat et in apostolos Petrum et Paulum ac fideles alios exacerbarat: ita Arius et Eutyches imperatores christianos: ita Lutherus principibus adulabatur, ad magnates, comites, barones litteras dabat et favorem eorum captabat; ut sic eorum gladiis perumperet, et evangelium suum propagaret. Atque ita factum ut captis potentioribus caperentur et subditi.

Sed non ita voluit Christus plantari evangelium suum. A simplicibus et humilibus incepit Christus et vocavit primo humiles piscatores, deinde plebeios et inopes (unde est illud I. Cor. I. *Non multi potentes, non multi nobiles, non multi sapientes, etc.*) postillos quosdam doctos ut Gamalielelem, Saulum, ac deinde alios divites, demum reges et imperatores. In cujus rei figuram prius pastores vocati sunt ad præsepe Domini, postea primum reges, prout etiam prædictum, Isa. LX. *Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui*. Ratio est, quia si Deus a nobilibus, doctis potentibusque auspiciatus fuisset evangelium, qui illud edictis ac statutis imperasset subditis, non tam divina virtute, quam humana opera videretur disseminatum evangelium. Non esset mirum lupis capere oves, sed ovibus capere lupos. Christus dixit: *Ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (scilicet ad capiendum et curandum eos) non sicut lupos in medio ovium. Nihil igitur miraculi habet Lutheri evangelii propagatio. Porro ubi apud principes nihil efficiunt heretici, postmodum turbas ciunt, seditiones et bella commovent, subditos in principes suos armant, atque ita ferro et flamma evangelium suum disseminare conantur. Quod accurate præstitit Lutherus, qui postquam advertit obsistere sibi multos imperii principes ac Cæsarem imprimis, docuit libertatem christianam eximere omnes subditos a dominatu et subjectione principum, unde et suasit eis, arma in eosdem sumerent. Sic enim scribit in lib. de captiv. Babylon. item contra duo Cæsaris mandata, nullam spem superesse remedii, nisi omnibus humanis legibus extinctis populus regnet, et Deum rogandum ne subditi suis obediant magistratibus. Ex qua Lutheri doctrina animatus et armatus Thomas Muncerus ejus discipulus concitavit seditionem rebellium rusticorum per Germaniam, et bellum Schmalcaldicum, in quo plusquam centum millia rusticorum periit, ut patet ex commentario Surii, Schleidano heretico, etc. Quo eodem medio usus in Helvetia Zwinglius, qui et ipse in suo prelio periit cum se jactasset globos omnes bombardarum manica sua excepturum, Calvinistæ in Gallia, etc. Sed non voluit Christus Ecclesiam suam armis propagare, nec permisit etiam apostolis suis baculum portare: atque in ejus rei significationem noluit sibi a Davide templum ædificari, quia is multum sanguinem fuderat et gravia bella gesserat, sed a Salomone pacifico, qui nec cædem fecerat, nec bellum gesserat, ut habetur I. Par. XXII. Neque mirandum est aut Deo adscribendum cum secta aliqua armis propagatur; alioquin potius Turcæ

secta approbanda esset. Lapis ille, qui contrivit statuam Nabuchodonosoris sine manibus abscissus fuit, Dan. III. ita sine violentia fides Christi propaganda erat.

Concludamus ergo nil prorsus miraculi continere hæresum propagationem neque valde mirandam. Dicendum potius: *Misericordie Domini, quia non sumus consumpti*, Thren. III. Et orandus Deus, ne patiat nos induci in errores tam perverso tempore.

CONCIO VI.

MULTIPLEX VERBI DEI AUDITI FRUCTUS, ET NON AUDITI DAMNUM.

I. Illuminat intellectum. — II. Roborat mentem spe. — III. Accendit charitatem. — IV. Præservat a vitiiis. — V. Provocat ad pœnitentiam. — VI. Incitat ad virtutem. — VII. Solatur in tribulationibus.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis.
Math. XIII.

Sanctus Hieronymus, in comment. super hoc evangelium ait: « Regnum cælorum prædicatio evangelii est et notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam, et de qua dicitur ad Judæos: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus ejus*, Matth. XXI. Eodem modo accepit regnum Dei apostolus cum ad Coloss. IV. scripsit: *Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei*, id est in prædicatione evangelii. Sed cur verbum Dei vocatur regnum cælorum et est via ad illud. Et sicut semen sinapis virtualiter est arbor, sic semen verbi Dei virtualiter est cælum. Hinc Christus et Joannes prædicationi suæ hoc thema præfixerunt: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*. Appropinquat videlicet audientibus verbum Dei. Sed qua ratione verbum Dei grano sinapis comparatur? Respondeo in præsentia, ob varias ejus utilitates, quæ etiam in grano sinapis cernuntur ut videbimus.

I. Sinapi caliginem oculorum detergit, teste Anglico, l. XVII. cap. CLV. Sic verbum Dei illuminat intellectum et accendit ac conservat in eo lumen fidei, per quam hominis gressus ad secure ambulandum in vitam æternam facile diriguntur. Nam *fides ex auditu*, ait apostolus ad Rom. X. *auditus autem per verbum Dei*. Cujus rei figura erat stella illa, quæ magos ad præsepium duxit: significabat enim per verbum Dei duendas esse gentes ad cognitionem fidei. Unde S. August. ser. II. et III. de epiph. stellam magorum vocat *linguam cælorum*; nec immerito,

quia sicut angeli pastores verbo, sic stella sua luce duxit ad fidem Christi magos. Certe quando se occultavit stella prope Ierosolymam a magis, tunc jam illi inquirere debuerunt iter et Ierosolymam divertere ad indagandum regem natum, ea vero rursus apparente rursus rectum tenuerunt iter; sic quamdiu verbum Dei prædicatur, tamdiu etiam fidei ductus et lumen conservatur: ubi vero cessaverit prædicatio, in tenebris ambulabimus et a fide aberrabimus. Hinc Sapiens ait Proverb. XXVI. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis*. Ligna quibus fovetur in nobis ignis fidei, prædicatio verbi Dei est, qua cessante, paulatim extinguatur fides. Per semen creaturarum conservantur mundus et rerum species, et per semen verbi Dei fides ac consequenter etiam Ecclesia fidelium; meritoque dicere possumus id Isa. I. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, (verbi Dei) quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorra similes essemus*; quia nimirum a fide excidissemus. Et propterea Dominus vocavit apostolos sal terræ, quia uti sal carnes a corruptione, ita ipsi per verbi prædicationem Ecclesiam ab interitu et putredine servaturi erant. Testis est experientia, contemptores verbi Dei ita communitè vivere quasi athei aut saltem hæretici sint, et quandoque ad extremum desperare.

II. Sinapi servit contra tinnitum aurium, teste Anglico, ib. Sic etiam verbum Dei munit et solatur nos contra scrupulos conscientie et metum tubæ illius terribilis, quam sibi audire semper videbatur S. Hieronymus, iudicii videlicet, cujus annuntiatio ita conturbabit reprobos, ut tinniant ambæ aures eorum; atque ita erigit nos in optimam spem et fiduciam. *Quæcumque enim scripta sunt, ait apostol. ad Rom. XV. ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus*. Scriptura siquidem passim amplissima Dei promissa complectitur et modos ac vias demonstrat, quibus fugere a ventura ira possumus. Timere posset justus, ne a perseverantia excideret, eum consolatur verbum apostoli II. ad Tim. I. *Certus sum quia potens est servare depositum meum justus iudex*. Anxiari possent divites, quos solatur illum verbum: *Facite vobis amicos, etc. et: Divitiæ si affluent, nolite cor, etc.* Timere posset peccator, ne forsitan ejus penitentiam Deus non acceptarit, nec culpas condonarit sed tantum dissimularit. Hunc consolatur Scriptura, Ezech. XVIII. dicens: *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua, quam operatus est vivet*. Consolatur per exempla penitentium, Magdalene, Petri, Davidis, etc. Angustiari et quandoque ad desperationem adigi posset gravis aliquis pecca-

tor, quasi major esset iniquitas ejus, quam ut veniam mereatur. Occurrit huic Scriptura mille locis et dicit: *Vivo ego dicit Dominus Deus: nola mortem impij, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini domus Israel? Ezech. XXXIII. et XVIII. Metuere possent rudes, ne forte plus ab ipsis requiratur in iudicio quam acceperint; sed solatur eos Scriptura, quæ ait: Cui multum datum est, multum requiretur ab eo, etc. et parabola talentorum, quæ duo tantum repetit ab eo, qui duo acceperat. Perturbari possent tribulati et afflicti, quibus ait Scriptura: Non patietur vos tentari supra id quod potestis, I. Cor. X.*

III. Sinapi vim ignitam habet, qua corporis artus accendit et inflammat, lacrymasque excutit, frontem contrahit, etc. Sic etiam verbum Dei charitatem Dei accendit in cordibus hominum et accensam inflammat augetque. De Deo ait Moyses: *In dextera ejus ignea lex*, Deut. cap. XXXIII. *Quia electi, ait S. Greg. hom. XXX. in evang. mandata cælestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt*. Declarat hoc S. Ambrosius, serm. II. cum ait: « Sicut cum sinapis succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lacrymas permovemur et in ipso salubritatem corporis nostri eum quodam fletu austeritatis accipimus, illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei saporis accendit, et toto perturbati corpore tunc magis sani efficiamur cum amplius deploramus; ita et cum fidei christianæ mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lacrymas permovemur, et ipsam nostram salutem cum quodam fletu ac mœrore consequimur: inde jejunia nos exasperant, illinc peccatorum conscientia macerat, hinc patrimonii jactura perturbat, et toto contristati habitu magis salutem consequimur, si amplius defleamus, etc. » Sic ille. Hæc flamma correpti erant discipuli illi euntes in Emmaus; dicebant enim: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? Luc. ult.* Quis enim non inardescat, si immensum illum Dei erga nos amorem et innumera beneficia, creationis, conservationis, redemptionis, vocationis, justificationis, glorificationis audiat vel legat e Scripturis? Quis non amore langueat cum sponsa, si introducat in cellam vinariam sponsi et consideret omnia, quæ docuit, fecit ac passus est nostri causa? Sane uti vehemens ignis sæpe corripit circumstantes et eos qui extinguere eum conantur; ita verbum Dei. Experti sunt hoc apparitores illi missi ad capiendum Christum, Joan. VII. qui audito Christi eloquio

re infecta ad pontifices redierunt et ex licitoribus prædicatores Christi facti sunt, cum dicerent: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*. Unde Pharisei ad illos: *Numquid et vos seducti estis? Sane et Saul olim inter prophetas numeratus est Davidicæ citharæ attractus suavitate, quæ verbi divini typus fuit. Expertus item est igneam hanc vim S. Antonius, qui cum ingressus ecclesiam ex evangelio audivisset: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, tamquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimavit. Itaque vendita re familiari pecuniam omnem pauperibus distribuit, et cælestis vitæ genus in terris colere instituit. Similiter S. Franciscus cum illud ex evangelio audisset: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calcæamenta, statim sibi eam regulam servandam proposuit. Serapion anachoreta cum in sacro codice suo legisset: Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, foras egressus incidit in mendicum nudum, cui ipse detractam sibi vestem dedit; ipse vero prope nudus cum ab obviis rogaretur, quis eum latro tam misere spoliasset, digito in codicem, quem sub axilla gestabat, intento: Hic, inquit, est. Unica evangelica lectio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum; beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Simeonem Stylitem illico convertit eoque proximit, ut quadraginta annos continuos in columna eodem pede consisteret, perdius et pernox orationi vacaret, pene sine cibo et somno viveret, ut portentum orbis, neque tam homo quam angelus in carnem lapsus esse videretur.*

Denique S. Bernardus in ea Christi verba: « Si vis perfectus esse, vade, etc. (ait:) Hæc verba sunt, quæ contemptum mundi in universo mundo et voluntariam persuasere paupertatem; hæc sunt, quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. » Sic ille. At inquires: Cur ergo nos, qui toties Scripturas ss. legimus et conciones audimus, hos æstus, has vitæ mutationes non sentimus? Respondeo quia eas obiter et oscitanter legimus et audimus. Nam: « Sicut granum sinapis (ait S. Ambrosius, serm. I.) prima fronte specie sui est parvum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suavitatem: at ubi teri coeperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, et tanto caloris fervore succenditur, ut mirum sit in tam frivolis granis tantum ignem fuisse conclusum. » Sic verbum Dei non exserit vim suam nisi sedula meditatione contritum, beneque in corde

expensum, accedente oratione, bona voluntate, etc.

IV. Sinapi stomacho utilissimum est contra omnia vitia, pulmonibusque, ait Plinius, lib. XX. cap. XXII. Sic etiam verbum Dei saluberrimum est præservativum contra animi vitia et fortis armatura. Hoc munivit stomachum suum David, qui Psalm. CXVIII. ait: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi*. Causa vero cur abscondisse se dicat, est, quia diabolus verbo Dei in corde seminato, vehementer insidiatur, ut sufflaretur illud, quod testatus est Dominus in parabola de semine cadente secus viam; novit enim quam efficax sit medicamentum contra peccata, et quomodo per verbum Dei a Christo victus et confusus sit in deserto. Quare cum tentaris de superbia, dicit tibi verbum Dei: *Videbam Satanam quasi fulgur de cælo cadentem*, Luc. X. Si de ambitione honorum et dignitatum: *Judicium durissimum his qui præsumunt*; et: *Potentes potenter tormenta patientur*, Sap. VI. Si de avaritia: *Quid prodest homini, si univèrsam mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Matth. XVI.* Si de luxuria: *Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, etc. regnum Dei possidebunt*, I. Cor. VI. Si de invidia: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. XX.* Si de ira: *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*, Matth. V. Si de gula et deliciis: *Væ vobis, quia habetis consolationem vestram*, Luc. VI. et: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*, Apocal. XVIII. Si de acedia: *Vade ad formicam, o piger*, Proverb. VI. et: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*, Matth. XXV. Quare optime comparatur s. Scriptura et Dei verbum in ea contentum Davidicæ turri, Cant. IV. de qua dicitur: *Mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium*. Hujus igitur sinapi grana aliquot memoriæ mandanda et quasi comedenda sunt contra occurrentes tentationes. Sacra Scriptura familiaris tibi facienda; crebro vel legenda, vel audienda, ruminandaque. Idcirco etiam oculi sponsæ dicuntur: *Sicut columbæ, quæ resident juxta fluentia plenissima*, Cant. V. « Nam sicut columbæ, (inquit, S. Gregorius eo loco,) juxta fluentia residere solent, ut volantium avium umbram in aqua videant, supra quam se projicientes, unguis rapacium effugiant; sic sancti viri in Scriptura sancta fraudes dæmonum prospiciunt, et ex descriptione quam vident, quasi ex umbra hostem cognoscunt. Denique, se consiliis Scripturæ ex toto addicunt, ut videlicet nihil agant nisi quod ex responso Scripturarum audiant, et quasi in aquam se projicientes hosti illudant: quæ Scri-

pturæ fluentia plenissima dicuntur, quia de quibuscumque scrupulis in Scripturis consilium quæritur, sine minoratione de omnibus ac plenum invenitur. » Sic ille.

Denique, proponit scelestorum pœnas. Superbi, mementote Luciferi, Nabuchodonosor, Herodis, Jezabel, Pharaonis : avari epulonis, duri Nabal, etc. luxuriosi Amnon, senum illorum Daniel, etc. invidi Cain, Saulis, etc. iracundi Dathan et Abiron, Aman, etc. gulosi epulonis, Holofernis, Balthasar, etc. Hinc sequitur hominem verbo Dei destitutum inermem esse et diabolicæ prædæ, omnibusque procellis, veluti navem gubernaculo carentem, expositum.

V. Sinapi sensus, atque caput sternutamentis purgat, excreta item faciles facit in cibo sumpto, inquit Plinius, loc. cit. Sic verbum Dei provocat, in homine peccatorum ejectionem per compunctionem, et confessionem; contemptum item et abjectionem rerum mundanarum. Ascendit enim instar sinapis mox in caput seu phantasiam, et ostendit homini periculum, in quo versatur, peccatorum suorum gravitatem, pœnasque illis debitas, item sæcularium rerum, quas amavit, vanitatem, dum demonstrat ei bona longe præstantiora et solida : ex quo incipit homo sternutare seu ejicere malos illos humores et spernere fluxa ac puerilia bona, peccataque per confessionem quasi execrari. Etenim ita natura comparati sumus, ut quamdiu meliora non videmus, tamdiu viliora sectemur. Sic pueri trochum tantum et pilam amant, quia præclariora exercitia non noverunt, sic plerique opes et honores quærunt, quia meliora bona nesciunt; sic rusticus nullum potum præfert cerevisiæ, quia meliorem non gustavit. Atqui verbum Dei præ oculis ponit bona solida et æterna, nulli malo admixta, quæ in cœlo promittuntur. Inde fideles aspernari incipiunt fluxas, pueriles et inanes voluptates, honores, opes, simulque per pœnitentiam deponere, quos habent, affectus erga illas. Fecit hoc David, quam primum audivit Dei exprobrationem et comminationem per Nathan sibi propositam : sternutavit enim illico dicens : *Peccavi Domino*, II Reg. XII. Fecit hoc Zacchæus, qui Christi verbo audito mox de vanitatis arbore descendit, et affectum avaritiæ deposuit, bona injusta restituit, et sua pauperibus communicavit : imo et per confessionem publicam peccata sua expuit, dum ait : *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. Sanctus Augustinus cum adhuc hæresi Manichæorum et mundo addictus esset, forte audiens e vicino vocem sibi dicentem : *Tolle, lege*, arreptum s. codicem legit et incidit in locum illum apostoli, ad Rom. XIII.

Non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubibus et impudicitis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum, etc. moxque a lectio pervasit animum ejus ita, ut firmiter statuerit deinceps hæresi et mundo valedicere, vitamque in melius commutare, quod et fecit, ut testatur ipse, I. VIII. conf. c. XII. Similiter Babylas mimus ingressus quodam die ecclesiam, auditoque evangelio : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, ita compunctus est, ut rediret domum et duabus concubinis valediceret, monachus futurus. Quo audito et ipsæ turpitudine abjurata et bonis suis in pauperes erogatis, pudicam deinceps et sanctam duxere vitam, ut quæ cum illo peccassent cum eodem pœniterent, Joan. Moschus, e vir. in prato, c. XXXII.

VI. Sinapi lethargicos excitat et appetitum provocat, ut scribunt Plinius et Angl. supra cit. Sic verbum Dei ignavos ad virtutem sectandam excitat, ejusque desiderium in illis accendit, dum varias Dei adhortationes, sanctorumque exempla imitanda proponit. Legimus Gen. XXX. Jacob patriarcham cum adhuc pasceret oves soceri sui, virgas populeas decorticas immisisse in canales, unde bibebant oves, ut sic vari coloris intuitu varicolores quoque gignerentur fetus, quod etiam ex voto successit. Sic, ut interpretatur S. Greg. I. XXI. mor. e. I. in sacris litteris et verbo Dei proponuntur variæ sanctorum virtutes et exempla, ut qui ea pensiculate contuentur, similia designent opera; quod etiam magno fructu consequitur. Quis enim non accendatur ad fidem, cum legit vel audit fidem Abrahamæ, qui etiam post factam sibi a Deo promissionem de semine suo ex Isaac multiplicando, voluit eundem immolare ad præceptum Dei, credens quod a mortuis eum Deus mox resuscitaturus esset? Quis non ad obedientiam, cum audit Isaacum parenti tam prompte obedisse? Quis non ad castitatem, cum audit Josephum dominæ suæ pertinaci libidini tam strenue restitisse et pallium in manibus ejus reliquisse? Quis non ad mansuetudinem, cum intelligit Davidem persecutori suo Sauli toties pepercisse, tam bona verba dedisse, tot lacrymis parentasse? Quem non moveat patientia Job et Tobis? Fortitudo Judithæ? Constantia septem fratrum Macchabæorum? etc. In novo vero testamento quanti nobis heroes et heroica proponuntur facinora? Quæ qui sedulo contemplantur, quomodo non accenditur ad similia imitanda. Hoc est quod David ait, Psalm. I. *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte; et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructu-*

rum suum dabit in tempore suo. Talis enim vitalem succum bonorum exemplorum trahit e flumine verbi Dei et Scripturæ. Et sane uti in viridario inter vernantes arborum florumque surculos, necesse est prætereuntem refici, et ambulanti in solo rubore et colore imbi : ita quoque necesse est animos legentium vel audientium tot sanctorum virtutes in Dei verbo virtutum desiderii sanctisque accendi affectibus.

VII. Sinapi ad dentium dolorem manditur, ait Plinius, ibid. Sic quoque verbum Dei consolatur in tribulationibus et mitigat dolores, ut testatur Macchabæi, cum in tribulationibus gravissimis constituti ad Spartiatis scriberent, I. Mac. XII. *Nos enim, inquit, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, etc.* Est igitur verbum Dei, quasi mammilla matris, ad quam parvuli plorantes recurrunt; ibi enim sæpissime legitur Deus promittere se omnibus adfuturum, qui in tribulationibus ad ipsum confugerint : quod ipsum innumeris exemplis ostenditur esse factum, cum Abrahæ, Jacob, Joseph, Moyse, Davide, Job, Tobia, Mardocheo, Daniele, Macchabæis, Petro, Paulo, cæterisque discipulis, qui omnes et longe plures ex pluribus tribulationibus ope Dei erepti et exinde gloriosiores et feliciores effecti sunt. Ut merito dixerit David : *Junior fui, etenim senui et non vidi justum derelictum*.

Omnia hæc bona perdit, qui verbum Dei audire negligit; nam et lumen fidei, si non prorsus, magna tamen ex parte amittit et anxius vivit, nunquam spiritu Dei inflammatur ad facta heroica, non habet quo resistat vitis et tentationibus, nec quomodo se ab iis liberet, nec virtutum incitamenta, nec denique consolationem in afflictionibus et præsertim mortis articulo, etc. Contra quemadmodum turgidæ vesicæ, quamdiu retinentur, non patiuntur mergi in aquis hominem; ita qui verbo Dei sedulo attendit et suis actionibus firmiter insistit, perire nequit.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. Fides catholica sola vera. — II. Christianus sit granum sinapis et fermentum. — III. Par utriusque sexus apud Deum conditio. — IV. Concionatores idem sæpius inculcare possunt. — V. Scripturæ non omnibus clare.

THEMA.

Aperiam in parabolis os meum. Matth. XIII.

Regius propheta, Psalm. LXVIII. sacram Scri-

pturam vocat mensam : *Fiat mensa eorum* (Judæorum scilicet incredulorum) *coram ipsis in laqueum*. Nec male; in s. enim Scriptura veluti in mensa pascuntur animæ fidelium veritate divina. Et quemadmodum dives paterfamilias proponit suis hospitibus plures et varias in eadem mensa epulas; ita Christus auditoribus suis alias et alias proposuit parabolæ, velut fercula exquisite cocta ad gustum auditorum. Ita S. Hieronymus, in hoc evangelium : « Proponit (inquit) eis et aliam parabolam, quasi dives paterfamilias, invitatos diversis reficiens cibus, ut unusquisque secundum naturam stomachi sua varia alimenta susciperet. » Nimirum istis epulis, quas ipse ab æterno de sinu Patris hauserat, plenus et satur erat; unde eas nobis de plenitudine sua eructavit, quemadmodum ait evangelista. Hanc igitur ad mensam vos invito auditores : fercula illius ad eujusque stomachum facta sunt, nec de cœli arcanis, sed de quotidiano usu et communi hominum conservatione, de agricultura et pictura desumpta. Horum quinque nunc delibemus.

I. Ferculum primum volumus? Discite fidem, doctrinam et Ecclesiam catholicam solam esse veram. Comparatur enim Ecclesia et doctrina evangelica (hanc enim vocat regnum cœlorum hoc loco, non cœlestem beatitudinem, quæ nec minima est omnibus rebusp. nec in terra seminatur) grano sinapis, quod ex minimo semine crevit in arborem, ad quam volucres cœli veniant, ut in ea habitent. Comparatur et fermentum, quod totam pervadit massam, facitque panem sapidum. Hæc autem in catholicam tantum quadrat Ecclesiam, non in Lutheranam, non in Calvinianam aliamve sectam.

Nam primo, sinapi austeram habet acrimoniam et vim inflammativam appetitui resistentem, nec odore nec colore nec sapore blandientem. Certe qui sinapis succum paulo largius ingerit, vultum et frontem contrahit atque in lacrymas resolvitur : similiter fermentum colore, odore, sapore ingratum est et amaritatem continet. Hujusmodi autem est doctrina nostra catholica, quæ carni et sensibus non blanditur, sed vitia carpit, virtutes inculcat, jejunium aliaque opera carni edomandæ præcipit vel suadet, ad pœnitentiam et lacrymas hortatur. Non item doctrina^{quintevangelica}, quæ carni blanditur et fræna laxat, bona opera et studium perfectionis eliminat, ut sole clarius est.

Secundo, sinapi ex minimo semine in arborem excrescit et fit majus omnibus oleribus. Fermentum item totam massam pervadit et immutat. Ita Ecclesia catholica ex minimis initiis in tantam exerevit magnitudinem, ut omnia alia